

Londinense decertarunt (1). Huiusmodi historia, et ipsorum Protestantium reluctantia in recipiendis mutilatis et truncatis Bibliis Societatis Londinensis egregiam apologiam constituit pro RR. Pontificibus, qui eandem Societatem eiusque editiones improbarunt. Protestantes tamen de praedicta oppositione Anglicanorum, aliarumque sectarum adversus biblicas societates altum silentium tenent dum contra Romanam Sedem ob eandem causam declamare non cessant. Verum quidem est Societates biblicas auro Britannico privatas, et minis Societatis matris perterritas praefatum decretum tandem acceptasse, et post tot clamores, et iusti zeli significationes serviliter collum subiecisse iugo societatis Londinensis, ita ut nunc Biblia ab iis distributa libris deutero-canonicis V. T. careant: atamen id in earum reprehensionem redundat, quaestionis naturam non immutat.

Argumenta adversariorum in favorem Societatum biblicarum, et adversus earum damnationem in falsis suppositis fundantur, et plus minusve eadem sunt ac illa quae in praecedentibus Thesibus solvimus: quare ab iis referendis abstinemus. Haec nihilominus videri possunt apud Perrone Tract. de Locis Theol. Part. II, cap. IV, Propos. II.

#### ARTICULUS V.

##### DE PRAECIPUIS VULGARIBUS VERSIONIBUS SACRAE SCRIPTURAE

I. *Praecipuae versiones Italicae.* Antiquissima inter Italicas versiones Scripturae creditur esse versio *Iac. de Voragine Ord. Praed.* Archiepiscopi Genuensis, quam laudant Possevinus, et Rich. Simonius, et Sixtus Senensis ait *summa fide et diligentia factam.* Succedit versio Italica *Nicholai Malerbi* vel *Malermi* (2) monachi Camaldulensis saec. XV. Prodiit anno 1471 sine loco (forte Venetiis). Orthodoxa est, et elegans, et quidem elegantior in V. quam in N. T. quare

(1) Huiusmodi testimonia, tum scilicet Societatum biblicarum, tum privatorum scriptorum laudantur a Moulinié: *Notice sur les livres apocryphes de l'Ancien Testament en réponse à la question: faut-il les supprimer?* Genève 1828, et a Renss in *Dissertatione polemica* de hoc argumento.

(2) Verum auctoris nomen est *Malerbi*, vel latine *De Malherbis*, et ipse se vocat in subscriptione operis: sed apud criticos qui eum citant aliter atque aliter scriptum invenitur.

P. Vercellone suspicatur V. T. alterius esse et antiquioris auctoris. Nunc vero Italica familiaris est recentior versio quam Illius *Antonius Martini* Archiepiscopus Florentinus concinnavit iuxta normam decreti Indicis 1737, sequens scilicet Vulgatam latinam, quam etiam una cum versione Italica sistit, et additis notis ex SS. Patribus et ex doctis catholicisque viris sapienter selectis. Addidit quoque praefationes doctrina ac pietate plenas, et in fine delectum variantum lectionum. Novum Testamentum prodiit Taurini 1769. Vetus autem ibidem usque ad annum 1776 cum approbatione Ordinarii. Cum autem auctor exemplar suae versionis Pio VI summo Pontifici obtulisset ab eo laudatus est, et in eiusdem versionis commendationem accepit *Breve* die 17 Martii 1778. Mittimus alias Italicas versiones minus notas, licet orthodoxas (1).

Ad eterodoxas vero versiones Italicas nonnulli referunt imprimis antiquiorem versionem *Bruccioli Antonii* Venet. 1532 ex hebraeo et graeco textu confectam, quae licet a viro catholico edita sit in Indicem relata fuit (2). Praecipue vero huc pertinet versio *Io. Diodati* ministri Calviniani Genevensis, quae prodiit Genevae anno 1604. Haec versio elegantia quidem dictionis se commendat, licet nimis aliquando paraphrastica sit, haeretico tamen spiritu confecta est, et ad sectae illius errores facilius lectoribus insinuos, ut supra vidimus. Ideo a Sancta Sede damnata fuit, a Protestantibus vero in deliciis habetur, qui plures eius editiones curant et inter Italos spargere satagunt: eandem in Gallicam linguam conversam Calvinistae Helvetii olim susceperunt. Plerumque tamen errores Calvinistici magis in notis adiectis quam in ipsa versione continentur.

II. *Versiones hispanicae.* Antiquiores Hispanicae versiones non paucae extant, sed ex his plures extra Hispaniam, et plerumque

(1) Tales sunt versio Italica *P. Marmachini* O. P. quae prodiit Venetiis an. 1538 in folio; Versio *Fr. Marini de Venetia*. Ven. 1477; Versio N. T. *Fr. Zachariae Flor.* O. P. Venetiis 1542 et aliae nonnullae. Haec et alias versiones diversarum linguarum enumerat inter alios P. Le Long in *Bibliotheca sacra* Cap. IV, Part II, quam consule, si libet.

(2) Non videtur tamen damnata ob eterodoxas interpretationes, sed potius quia a Vulgata nimis aliquando recedit, et in Epistolis ad Franciscum I Regem Veteri et Novo Testamento praefixis nimis acriter defendit lectionem S. Scripturae in lingua vulgari.

a viris eterodoxis vulgatae fuerunt. Antiquissima videtur esse versio Hispanica, quae circa a. 1280 inssu Alphonsi regis Castiliae exarata fuit, ut refert Mariana in Lib. XIII *de rebus hispanicis* c. 13. Aliam quoque versionem tempore S. Vincentii Ferrerii confectam, et ab eo probatam laudat Rich. Simonius (Crit. du V. T. to. I, pag. 336). Ad eterodoxas Hispanicas versiones pertinent Versio *Cassiodori de Reyna*, quae prodit Basileae a. 1589; item Versio *Cypriani de Valere*, quae tamen videtur potius praecedentis recensio quam nova versio. Iudaei quoque suam habent Hispanicam versionem V. T. quam *Ferrariensem* vocant. Demum saec. XVIII desiderio Hispanorum habendi orthodoxam et probatam Scripturae versionem in patria lingua satisfacit *P. Phil. Scio* Scholarum Piarum, qui urgente Hispaniarum rege, et approbantibus Episcopis et Inquisitoribus, novam Hispanicam versionem ex Vulgata latina confecit, adnotationibus instruxit, ac typis vulgavit anno 1793 et seqq. Pius VI hanc pariter versionem sibi oblatam laudavit, licet ab expressa eius probatione per appositum Breve significanda abstinuerit. Hac versione nunc Catholici hispanice loquentes ubique terrarum utuntur. Aliam nihilominus versionem Hispanicam pariter ex Vulgata latina adornavit, notisque adiectis vulgavit anno 1824 *Fr. Torres Amat* Episcopus Asturicensis, quae subinde saepius recusa est. De his legi potest Gaminero Munoz: *Manuale isagogicum in Sacra Biblia*. Luci Augusti 1818. Societates biblicae inter Hispanos disseminant versionem P. Scio, reiectis tamen libris dextero-canonicis V. T. et amputatis notis.

III. *Versiones gallicae*. Antiquissima Gallica versio ea videtur esse quam ex vetustis codicibus erutam edidit Leroux de Lincy anno 1841: in vetusta Gallica lingua exarata est, et libros Regum dumtaxat continet. Videtur descendere ex prima parte saeculi XII. Ad hoc idem saeculum referendae sunt versiones illae Gallicae, quas Innocentius III commemorat in superius laudatis epistolis ad Episcopum Metensem: verum de his nullum vestigium hodie occurrit. Saeculo XIII et XIV nonnullae Gallicae versiones prodierunt, ut versio *Guiardi Molinaei* (Guyards des Moulins), quam postea *Iohannes De Rely* recensuit, et, ad stylum quod pertinet, correxit. Haec versio prodit anno 1294 cum notis desumptis ex historia scholastica Petri Comestoris, recensio vero laudati Io. De Rely

sub regno Caroli VIII facta est, et anno 1487 Parisiis typis impressa fuit. Imo primae S. Scripturae editiones typographicae (septem vel octo), teste Lelong, omnes hanc versionem continent. Hanc excipit versio *Iacobi Fabri Stapulensis* ex Vulgata latina derivata, et praecedente accuratior, quae Antuerpiae anno 1528 prodit cum approbatione Inquisitoris, et pluries deinceps recusa est: « Fuit autem versionum, quae postea factae sunt veluti basis ac fundamentum. » (Lelong Bibl. Sacr. cap. IV, Par. II, Sect. 2).

Paulo post Lovanienses Theologi, duce Nicolao De Leuze, novam Gallicam versionem adornarunt in versione quidem Stapulensis fundatam, sed ab ea diversam, quae usque ad finem saeculi XVII inter catholicos tum in Belgio, tum in Gallia maxime in usu fuit, novisque curis expolita plus quam quinquages variis in locis recusa fuit. Sub finem autem saeculi XVII apparuit celeberrima versio gallica *Lud. Is. Lemaistre de Sacy*. Haec versio magna quidem ex parte a citato auctore confecta est, et per partes in variis locis et annis vulgata fuit, cum approbatione unius vel alterius Episcopi, mortuo vero auctore, eam continuarent Dufossé, Huré et Thouret: integra vero prodit Parisiis 1682–1708, 32 Vol. in 8°. Haec versio, licet profiteatur se ex Vulgata latina derivatam esse, saepe tamen ab ea discedit, et Textum Graecum pressius sequitur: copiosas notas, seu potius commentarios adiectos habet. Verum cum citati eius auctores Iansenismo plus minus faverent, eadem versio uti suspecta haberi coepit, et imprimis eius adnotationes. Cum autem ceteroquin versio optima plerumque esset D. Aug. Calmet illam paulisper correctam iterum edidit amplissimo suo commentario instructam, Parisiis 1707–16. Deinceps Ab. De Vence illam inseruit una cum *paraphrasi Petri Carrières* in celebri sua editione quam vocant *Bible de Vence* 1748–50: et postea iterum expurgata una cum paraphrasi Carrières, et adnotationibus ex Menochio excerptis pluries in variis locis recusa est. Cum tamen praedicta versio, licet correctata, quemadmodum etiam praedicta paraphrasis, sine approbatione Ordinarii prodisset, quae ex regula IV Indicis omnino requirebatur, Catholici gallice loquentes novam desiderabant versionem undequaque tutam. Itaque Saec. XVIII et XIX aliae Gallicae versiones apparuerunt, quas inter speciatim memoranda est ea quam Patres S. I. duce

*Dominico Bouhours*, cum doctis piisque observationibus *P. Lallemand* vulgarunt anno 1697–1703, item alia recentissima a I. B. Glaire concinnata ex Vulgata Latina, collato Graeco textu, et brevioribus notis adiectis Parisiis 1861, quae maturo examini subiecta speciali decreto S. C. Indicis 29 Ian. 1861 a S. P. Pio IX confirmato permessa fuit. Haec versio solum N. T. complectitur. Alia versio utriusque Testamenti adhuc recentius concinnata est a *Bourasse et Janvier* Turonis 1867: prodit cum notis et debita approbatione Ordinarii. Alias minus notas, aut minoris momenti omittimus. Et haec quidem de catholicis versionibus.

Eterodoxae Gallicae versiones dividi possunt in Iansenisticas, et Protestanticas (Calvinianas). Iansenistica est imprimis versio dicta *De montibus* (*Le Nouveau Testament de Mons*). Haec versio incoepa fuit ab *Ant. Lemaitre*, quo mortuo eam continuarunt eius frater *Lud. Lemaitre*, Arnould, Nicole alique, omnes plus minus Iansenismo addicti: prodit autem anno 1677 cum approbatione Archiepiscopi Cameracensis, sed illico damnata fuit speciali Brevis Clementis IX, et rursus per aliud Breve Innocentii XI, eo quod a Vulgata latina, et aliquando etiam a textu graeco deflecteret, et erroribus Iansenistarum faveret. Huic versioni Quesnellus adiecit suas celebres *Reflexiones morales*, ex quibus extractae fuerunt propositiones damnatae a Clemente XI in Bulla *Unigenitus*. Protestantes plures ad suum usum adornarunt. Gallicas versiones, quarum celeberrima et reliquarum basis est versio dicta *Genevensis*. Haec versio ab *Olevitano* Calvini discipulo, eodem Calvino instigante ac iuvante, condita fuit, et vulgata anno 1535: deinceps vero iterum atque iterum immutata, et expolita fuit, ut supra innuimus, semperque magis haeretica effecta opera eiusdem Calvini, Bezae, Bertrami, Dav. Martin, et Osterwald. Hac versione Calvinistae Galliae et Helvetiae passim utuntur. Nuper vero ministri Genevenses novam confecerunt Gallicam versionem, quae Losannae anno 1857 prodire coepit, et sequentibus annis continuata est. Iudaei etiam recentius suam habere voluerunt versionem Gallicam V. T. quae a S. Cahen vulgata est Parisiis 1845.

IV. *Versiones Belgicae et Hollandicae*. Antiquissima Belgica Scripturae versio, seu potius rythmica paraphrasis, scripta fuit a *Iacobo Van Maerlandt*, quae recenter edita fuit Bruxelles 1858–61. Ab

hac differt versio in lingua Belgica incertae aetatis, et auctoris, quae saepius saeculo XV excusa est. Cum autem saeculo XVI haereticae versiones in Belgio confici, et disseminari coepissent Theologi Lovanienses, duce *Nicolao Winghe* novam Belgicam versionem aggressi sunt iuxta usum tunc vigentem idiomatis Belgici, quod Brabantinum vocant, ad normam Vulgatae Latinae, qua paulo ante ab iisdem theologis accuratissime emendata fuerat. Prodit haec versio Lovanii 1548, et iterum emendatus anno 1599 Antuerpiae typis Moerentorff, unde etiam *Biblia Moerentorffii* dicta est. Haec versio apud Catholicos Belgas in usu fuit usque ad medium saeculum XVIII. Huic vero successit celebrior versio, quae nunc Belgae passim utuntur elaborata a RR. PP. *Smits* et *Van Hove* cum notis, dissertationibus, et praefationibus, quae prodit Antuerpiae a. 1744 et seqq. Complectitur fere totum V. T. Novum Testamentum autem additum fuit a *Lipman* et ab Illmo *Beelen* « Cuius translatio, inquit Lamy, ad normam versionis Vulgatae, collato textu graeco, elaborata, doctissimis commentariis munita, et ab omnibus Belgii Episcopis approbata prodit Lovanii 1839–69. » (Lamy Introd. in S. S. ed. 2<sup>a</sup> Lovanii 1872 to. 1, pag. 190).

Ad eterodoxas Belgicas versiones pertinent imprimis illae, quae supra innuimus, quae saeculo XVI apparuerunt opera *Lutheranorum*, et plerumque ad normam versionis Lutheri exaratae erant. Huc etiam referenda est versio *Aegidii Dewit* sacerdotis e secta *Appellantium* Bruxelles 1747.

*Hollandi*, seu *Batavi* nullam catholicam versionem in sua lingua videntur habere, Calvinistae vero illius regionis, versionem habent confectam iussu *Synodi Dordracensis* quae prodit anno 1637.

V. *Versiones Anglicae*. Antiquissima Anglorum versio quae Ven. Bedae eiusque discipulis saec. VIII. et seqq. tribuitur lingua potius *Anglo-saxonica* conscripta est, et hoc nomine ab eruditis cognoscitur, ut alias vidimus. Prima autem Catholica versio in lingua *Anglica* proprie dicta est celebris versio *Duacensis* (*The Douay Bible*) ita dicta quia in urbe Duacensi (Douay in Gallia) prodit. Haec versio Rhemis in Gallia a doctis piisque viris Anglis, qui in Collegio Anglorum illius urbis degebant exarata fuit. Novum Testamentum primum versum est, et Rhemis editum anno 1582, Vetus autem post aliquot annos prodit Duaci (1609 et seq.). Haec

versio ex Vulgata latina derivata, orthodoxis adnotationibus instructa, et Ordinarii approbatione munita apud omnes Catholicos Anglicae linguae in Anglia, Scotia, Hibernia, America Septentrionali aliisque regionibus summo plausu excepta fuit, et usque hodie omnium manibus teritur. Identidem tamen haec versio retractata et novis curis expolita fuit; primo quidem ab Episcopo *Challoner*, qui et stylum aliquantum renovavit, et prolixiores notas in compendium redegit Londini 1780; iterum anno 1857 in Hibernia Illūus *Denvir* Episcopus Down et Connor novam editionem Duacensis versionis Dublini vulgavit cum approbatione omnium Hiberniae Episcoporum, quae editio generatim in Hibernia et statibus Foederatis Americae in usu est. In America vero duae aliae editiones huius versionis recenter apparuerunt, altera Neoeboraci 1856, altera celebrior Baltimoreae 1881 curante Illūo *Fr. Xav. Kenrick Archiepiscopo* Ballimorensi, qui Duacensem versionem accurate recensuit, suasque adnotationes doctas iuxta ac pias adiecit.

Eterodoxae Anglicae versiones plures numerantur. Prima est versio Wicleffi, quae prodit anno 1380. Post ortam Reformationem, et Anglorum defectionem sub regno Henrici VIII plures versiones ab haereticis hominibus, et ad usum Protestantium prodierunt, quarum praecipuae sunt versiones *Tyndale*, et *Coverdale*. Cum autem istae versiones regi et Episcopis Anglicanis non placuissent paulo post alia versio a *Guillelmo Parker* cum aliorum pseudo-episcoporum cooperatione, iubente ac approbante regina Elisabetha, vulgata est anno 1568: haec versio dicta fuit *Biblia Episcoporum* (*The Bishops' Bible*), et diu apud Protestantes anglicanos favorem invenit. Verum postea errores et vitia huius versionis detegi coeperunt, et adversus eam reclamantibus pluribus Anglicanis ministris, ac pastoribus, Iacobus I rex novam iussit fieri versionem, quae anno 1607-10 primo apparuit, et a Rege authentica declarata est. Haec versio quae vulgo *Biblia Regis Iacobi* (*King James' Bible*) dicitur adhuc inter Anglicanos Protestantes, non solum Episcopales, sed etiam dissidentes, et in America Septentrionali apud Protestantes diversarum sectarum passim recipitur, et innumeras fere habuit editiones. Demum postremis hisce annis Protestantes Angli et Americani ad varias sectas pertinentes consilium susceperunt novam edendi versionis huius receptae recensionem, quae

omnium desiderii satisfacta. Huius recensionis Novum tantum Testamentum post decem annorum labores prodit a. 1881 (1).

In Hibernia, praeter anglicas versiones supra memoratas, extat etiam alia versio in antiqua lingua Hibernica, quae initio quidem a viro catholico King confecta deinceps a Protestantibus recepta est et Londini impressa ad usum Protestantium Hibernorum. Ceterum Hiberni catholici vulgo utuntur versione Duacensi Anglicae, Protestantes vero versione regis Iacobi.

VI. *Versiones Germanicae*. Versiones catholicae lingua Germanica medio aevo confici coeperunt, quarum nonnullae ex antiquis manuscriptis erutae recenter a doctis viris in lucem editae sunt. Antiquissima videtur esse versio seu paraphrasis germanica Scripturae confecta a *Willirano Ebersbergensi* saeculi XI Scriptore, quam

(1) Ad hunc finem deputati sunt (a. 1870-71) plures eruditi viri ex Anglia, et Statibus Foederatis Americae (nuper erant numero 79, quorum 52 in Anglia, et 27 in America) non modo Episcopales, sed et Lutherani, et Calvinistae, et Baptistae et ex aliis sectis. Ii in duos comitatus (*committees*) dividuntur alterum pro Anglia, alterum pro America, qui tamen collatis consiliis et communibus votis omnia persurgunt, singuli autem rursus dividuntur in duas sectiones unam pro V. T. alteram pro N. T. Methodus recensionis exponitur in octo regulis ab utroque comitatu in antecessum pro agendi norma receptis, quibus cavetur ut versio anglica accuratior et elegantior fiat, simul tamen nimiae immutationes vitentur. Haec et aliae ad praedictam recensionem spectantia una cum nominibus omnium correctorum videri possunt in opusculo nomine Comitatus Americani vulgato sub titulo: *Anglo-American Bible Revision by members of the American Revision committee*. London 1879. Post brevem expositionem originis, constitutionis, et agendi rationis praefatae societatis correctorum sequuntur XVIII breves dissertationes de argumentis cum eadem recensione connexis a totidem membris Comitatus Americani conscriptae. In prima dissertatione C. Kranth tractat de Anglicis versionibus S. S. earumque auctores summis laudibus et prorsus enthusiastice extollit praesertim Wicleff, Tyndale, et auctores versionis regis Iacobi. Lopidus autem est hic scriptor cum Lutherum vocat *maximum omnium interpretum a the greatest of translators* (pag. 24) cum notum sit ipsos Germaniae Lutheranos tum veteres tum recentiores versionis Lutheri gravissimos errores, et intolerabilem audaciam fassos esse, ac reprehendisse. In sequentibus dissertationibus praesertim n. IV (G. E. Hare), n. VI (W. H. Green), n. VIII (I. Packard), n. X (A. C. Hendrick) plures correctiones suggeruntur, quarum tamen multae in textum non fuerunt receptae. Americani tamen censors impetrarunt ut ad calcem editionis eorum correctiones apponerentur.

imprimendam curavit Iacobus Haept Vindob. 1864. Nonnullae ex his antiquis versionibus saeculo XV typis impressae apparuerunt. Sequentibus aetatibus novae etiam versiones confectae fuerunt a pluribus doctis Germanis, ut ex. gr. ab *Emser* qui suam versionem opposuit versioni Lutheri, ab *Eckio* (1540), *Uhlenberg* (1630), *Eckhard* (1722), *Braun* (1789-1797). Verum omnes superavit recentior versio *Allioli*, quae specialem S. Sedis approbationem meruit, quaque Germani Catholici nunc passim utuntur. Haec versio ex Vulgata latina derivata est, doctas habet adnotationes dogmaticas, morales, et criticas cum praefationibus, indicibus etc. Prodiit primum an. 1830-37, cum approbatione Gregorii XVI singulis voluminibus, prout nempe in lucem successivis annis prodibant, praefixa, deinceps vero pluries in Germania et alibi recusa est. Recentius alia Germanica versio pariter ex Vulgata latina confecta fuit a doctis catholicis viris *V. Loch*, et *W. Reischl*. Ratisbonae 1867.

Eterodoxae Germanicae versiones plures extant, singulae enim fere sectae suam habent versionem, imo et Iudaei versiones V. T. habent characteribus Rabinicis, sed Germanica lingua exaratas. Inter omnes autem celebriores sunt versiones Lutheranorum, quorum secta praecipue in Germania viget. Imprimis habent versionem ab ipso Luthero editam anno 1522-32, quae ob linguae puritatem, et styli perspicuitatem commendatur, ideoque saepius et variis in locis impressa fuit et a Lutheranis etiam aliarum gentium, Danis, Sreis, Batavis recepta (1). Errores tamen et sensus Scripturae corruptiones in versione Lutheri occurrentes, ut alias vidimus, ipsi doctiores Lutherani animadverterunt et fassi sunt, qui ideoque novas aliquando versiones elaborarunt, ut sunt ex. gr. versiones Trilleri, Reizii, Waltheri, et recentius versio Augusti, et De Wette (edita 1809-14). Calviniani suas habent versiones tum Germanica lingua, tum Helvetica dialecto ad usum Helvetiorum gallice non loquentium.

VII. *Versiones Polonicae, et Hungaricae.* In lingua Polonica tres potissimum extant versiones una pro Catholicis, altera pro Soci-

(1) Lutherani Batavi versionem Lutheri in suam linguam conversam receperunt, et aliquamdiu retinuerunt: deinceps vero, urgente synodo Dor-dracena, eam reiecerunt quia, inquit Leusden, cum tumultuario tempore edita fuerit multis scateat vitis. \*

nianis, tertia pro Lutheranis. Versio *Catholica* a P. Iacobo Wieckio S. I. confecta fuit iubente Gregorio XIII, et prodiit Cracoviae anno 1399 cum approbatione Clementis VIII. Summo studio exarata fuit adiuvantibus etiam aliis doctis viris S. I. Vulgatam latinam sequitur, et orthodoxis adnotationibus instructa est; hac Poloni orthodoxi passim utuntur.

Versio *Socinianorum*, qui diu in Polonia sedem habuerunt, ex textibus originariis Hebraeo et Graeco derivata est, et impressa anno 1563. *Protestantica* demum ad usum Protestantium confessionis Augustanae prodiit anno 1596.

*Hungaricae* versiones Catholicae medio aevo exaratae fuerunt, et in antiquis codicibus extant. Nonnullae etiam postea typis expressae fuerunt: eas tamen superavit versio recentior a *P. Georgio Kaldi S. I.* exarata, quae cum approbatione Primatis Hungariae prodiit Vindobonae 1626, quamque Hungari in communem usum receperunt. Huius versionis nova recensio prodiit Agriae 1862-63.

Haec sufficiant de praecipuis et notioribus Scripturae versionibus in linguis vulgaribus. Aliae satis multae existunt versiones, quae aut parum notae sunt, aut mentionem nullam merentur ob compertam earum infidelitatem, et cuiuslibet valoris defectum. Huiusmodi certe sunt versiones fere omnes quae in linguis barbarorum, aut infidelium populorum opera Societatum biblicarum exaratae fuerunt in Asia, Africa et Oceania. Ita ex. gratia, quaedam versio in lingua Sinica a ministro protestante Morrisson confecta est, et alia in eadem lingua vulgata fuit a missionariis Baptistis Sinicae: verum utraque versio a viris doctis ita imperfecta, et absurda iudicata est ut sine periculo legi non posset, et indigenis risum aut indignationem moveat (1). Quinimo plerique contendunt literalem et accuratam Scripturae versionem in lingua Sinensium esse impossibilem, considerata huius linguae indole et ratione eam scribendi, ita ut ipsi missionarii catholici recusaverint Scripturae versionem conficere, et cum urgente S. C. de Propaganda Fide versionem Evangelii Matthaei ingenti labore confectam Romam misissent, fassi sunt eam a Sinensium cogitandi et scribendi ratione

(1) Doctus Abel Remusat utramque versionem diligenter expendit in *Moniteur Universel* 9 Novembris 1812, et fusiis in *Mélanges Asiatiques*. Tom. I, pag. 14, Paris 1825.

ita alienam esse, ut Christiani neophyti eam legentes non possent a risu temperare. In India Orientali etiam Protestantes plures versiones ediderunt in variis dialectis illarum gentium, quae tamen inaccuratae et absurdae a viris doctis declaratae sunt. De his loquens quidam Missionarius Catholicus in *Annali della Propagazione della Fede* N° LXXII Settembre 1840 ita scribit: « Ipsae errores ita enormes continent, stylo ita barbaro scriptae sunt ut cultiores indigenae, quamvis in iis characteres et vocabula suae linguae recognoscant, nihil tamen intelligunt, nec possint idearum nexum percipere. Hinc oritur funestum praeiudicium, nostros Libros Sacros esse scripta hominis insensati: simul ac idololatrae duas vel tres paginas legerunt, librum lacerant aut reiciunt cum indignatione et contemptu. » In Oceania Protestantes, opera videntes cuiusdam Nott, versionem ediderunt in lingua insulae Taiti anno 1817: sed paulo post ea versio ita imperfecta apparuit ut ipsi ministri eam suppressere debuerint cum magna discipulorum admiratione, et scandalo. Ipsa inopia et sterilitas linguarum barbararum plerumque impossibilem reddit accuratam Bibliorum versionem; aut enim conceptus biblicus adulterari debent per voces quae iisdem conceptibus non bene respondent, aut nova vocabula et novae phrasae cudendae sunt, quas indigenae non intelligunt: in systemate catholico hoc incommodum vitatur per oralem praedicationem, quae longe opportunior est ad infidelium conversionem, quam versionum biblicarum lectio, ut etiam experientia et factum missionum catholicarum abunde docet. Sed de his satis (1).

Scholion. Quoniam saepe mentio facta est de approbatione S. Sedis nonnullis vulgaribus versionibus concessa, operae pretium est animadvertere hanc approbationem apprime distinguendam esse a solemnibus approbatione quae Vulgatae Latinae a Concilio Tridentino Sess. IV data fuit. Haec enim est approbatio sollemnis, positiva et dogmatica, per quam ipsa versio Vulgata authentica et in fide ac moribus infallibilis declarata est; contra approbatio quarundam versionum vulgarium, ut Polonicae P. Wiekii, Germanicae

(1) SYLV. De Saey celeberrimus Orientalista severum iudicium protulit de versionibus Orientalibus Societatum Bibliarum in *Journal des Savants*. Juin 1824, pag. 323 seqq. *Considérations sur les nouvelles traductions des Livres Saints.... par la Société Biblique.*

Allioli, et Italicae Martini est approbatio simplex, permissiva, et disciplinaria. Neque haec approbatio S. Sedis omnino requiritur post declarationem Benedicti XIV anno 1757. Sufficit enim ut versio a catholico viro prodierit, debitis notis instructa sit, et ab *Ordinario* fuerit probata. Ita ipsa versio Martini primo prodit cum approbatione tantum Episcopi Taurinensis, versio Hispanica P. Scio cum approbatione Episcoporum Hispanorum prodit, et ipsa Anglicana versio Duacensis non habet nisi Episcoporum Hiberniae praesertim, et Americae approbationem. Unusquisque tamen videt approbationem Ordinariorum longe inferioris gradus esse approbatione Sanctae Sedis, et fieri posse ut per ipsam Sanctam Sedem retractetur, quemadmodum ex. gr. factum est de versione Quenelli, quae primum vulgata cum approbatione Card. De Noailles Archiepiscopi Parisiensis deinceps a Clemente XI damnata fuit. Debent etiam Ordinarii sese conformare conditionibus in Regula IV Indicis, et in Declaratione Benedicti XIV praescriptis: ut nempe versio catholicum habeat auctorem, et adiectas notas ex Sanctis Patribus aut ex doctis catholicisque viris desumptas. Existimat autem laudatus Lamy versionem aliquam istis dotibus instructam non posse quidem imprimi sine approbatione Ordinarii, at si nihilominus impressa fuerit fideles posse eam legere, dummodo certo constet eam tum in textu tum in notis catholicam esse.

Denique monendum est versiones vulgares ex Vulgata latina iuxta editionem Clementis VIII confici debere, non autem ex textibus originariis immediate, vel ex aliqua alia versione. Quamvis enim hoc expresse non praecipitur in regulis Indicis, aut in declaratione Benedicti XIV, colligitur tamen tum ex scopo Concilii Tridentini in declaranda Vulgata latina authentica, tum potissimum ex praxi Sanctae Sedis in versionibus vulgaribus probandis vel improbandis, ut ex superius dictis apparet. Hoc tamen intelligendum est de versionibus totius Scripturae, communi fidelium usui destinatis, non vero de unius vel alterius libri versione ad eruditorum usum confecta, quae posset etiam aliunde derivari et imprimis ex textu originario: ita habemus versionem librorum poeticorum Franc. Xav. Mattei, et nuper versionem centum Psalmorum P. Patrizi S. I. Romae impressam, quae immediate ex textu hebraico derivatae sunt.